quos non modo magnos natura Asino largita est, sed quod et homini negatum est, ut quo vellet, et cum vellet commouere eas posset, ubi nunc Astrologi? prodeant in medium, et primus quidem Methon qui imprimis laudatur, quod Atheniensibus in Expeditionem Siciliæ navigantibus tempestatem prædixerit, at illi minimè cedit Asinus, quippe non modo navigantibus, sed et equitantibus, et euntibus quatiendo aures tempestatem indicat, neq cedit Appolonio Tyanæo, qui libros de Astrologiâ diuinatione scripsisse testatur, triumphent scripta illius, scripserit, at viris tantis doctis scripsit, quid vulgo profunt, quid prosunt Agricolis, qui sæpe ne tria Stesichori quidem norunt, cum tamen ad inferendos, euellendos terræ surculos maximam tempestatum rationem habere cogantur, quibus Astrologus Asinus annuntiat et sic tam viris doctis quam agrestibus utilis esse videtur. Si Beroso olim ob Syderalium rerum peritiā diuinásq prædictiones statuam inaurata lingua posuerunt Athenienses in publico Gymnasio, Asinum certè æque ac Berosum statuam inauratis auribus mereri quis negabit? Certè Apuleius artibus non cuiuis cognitis instructus ob prædictiones, et vaticinia sua Aurei Asini nomine gaudere meruit. Unum